



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Ab alijs videri, ab alijs non videri diuinam bonitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

poris habitu, omnes virtutes docentem; incensique amore tam immenso infantis, iam tum, pro Mundo, patientis, toti se proijciunt in mare diuinæ bonitatis. Philæni, aut, vt Athenæus eos appellat, Philotoconistæ, optauerant olim, vt in balænas conuerterentur, dummodo mare in pretiosissimum vinum mutaretur, in quo se se possent continuò volutare. O quantum est mare amor Dei! ô quàm dulcis Oceanus, immensitas diuinæ bonitatis? omnes prorsus in eum se conijcerent, omnes in eo, velut pisces, natat optarent, si eius agnoscerent suauitatem. Immo omnes in eo submergi, & animam, amore ebriam, ponere cuperent; quemadmodum Georgius Clarentiæ comes, qui (ob suspicionem affectati regni, ab Eduardo IV. huius nominis rege Angliæ, fratre suo, iussus mori, & genus mortis, quod sibi magis placeret, eligere) voluit vino Cretico, seu, vt vulgo vocant, Maluatico, suffocari, coniectusque in vas plenum huius vini, illud sensim sorbendo suauiter submersus est; ita, præ amoris dulcedine, toti in Deo mergerentur omnes, si quàm suauis sit Dominus, gustauissent; neque etiam mille mortes sentirent charitate inebriati.

C A P V T X L I I .

Quanta, ex consideratione Dei summè boni, summèq; misericordis, etiam alioqui desperatis, spes veniæ & fiducia addatur?



Vdiui nonnullos, qui nauali prælio interfuerunt, quod Ioannes de Austria, contra Turcas, felicissimè gessit, narrantes, cadauera in mari natantia, internosci potuisse. Siquidem corpora Turcarum prona, at Christianorum supina atque cælum aspicientia dicebant natitauisse. Eadem res quotidie accidit ijs, qui in diuinæ bonitatis mare incidunt; alij enim ibi eriguntur ad spem in Deo ponendam; alij suo opte pondere euertuntur, & ita deprimuntur, vt, ad quam oculos habent, non videant bonitatis profunditatem.

Hanc vtique non vidit Cain, qui dixit: *Maiores est iniquitas mea, quam vt veniam merear*; quasi aliquid maius esse possit. Gen. 3. 13.

Ggg 3

magni-